

**1865** Comeglians nel canal di Gorto, serve per base esteriore d'un angolo della chiesa di S. Giorgio BERT. LUC.

	L · V I R T I V S
	L · F · A L B I N V S
femina	E T · R E G I A · L · F
sedens	O M M O N T A
et stamina	5 V I V I · F E C E R V N T
ducens	S I B I · S V I S Q V E
	L I B · L I B Q · P O S T Q · E O R
	H · M · H · N · S

Bertoli ms. n. 736 cui misit Hyacinthus de Riva; item Grassi Carn. p. 149 eodem fere exemplo; melius Cortenovis ms. p. 58, ubi pessimum exemplum amici ipse ex lapide emendavit, et Zuccolo ms. Misit item Lucianus a. 1867 descriptam a sacerdote Iac. Beorchia.

1 I · V I R T I V S Bert. Gr. — 2 L I Bert. Gr. — 3 sic Zucc., ITRIGALI Cort., ITRIG · ALPI Gr., TPIG ... ALP Bert. — 4 O M M O N T A Cort., O M M O N T A Zucc., O M M O N T I Gr., O M N O ... Bert. — 5 V I V I F I C E R V N T Zucc., V I V I R I O L V N A Cortenovianus amicus, V I V I R · C L A R ... Gr., VI · V I R ... CLA Bert. — 6 S I B I · S V I S C V T Cortenovii amicus, S I M V S ... Gr., S I M V S Bert. — 7 P O S T Q · E O R Cort., P O S T Q · E O R Zucc., E O S T O N I Cortenovii amicus, om. Bert. Gr. — Lucianus sic: F V I R P I V S | I F A L B I N V S | I F R I C I A L I I | / O M M O N T I | V I V I C I // | S I I I S V I S C V I | I I P I I B C // | I I M I I N //

## XX. COL. IVLIA CONCORDIA (*Concordia*). *Tribu Claudia?*

Concordiae inventos titulos tradiderunt auctores multi et varii, de quibus tamen paucis hoc loco defungemur, cum sint fere iidem a quibus habemus titulos Aquileiae Venetiaeque universae. — Saeculo XV unus tantum titulus Concordiensis n. 1894 reperitur in syllolis vulgaribus; sed plures suppedant codices duo tamquam gemelli REDIANUS et CANONICIANUS a Cortenovio usurpati. Eadem aetate Caorlenses duo tituli n. 1956. 1958 reperiuntur tam in aliis syllolis quam in Rediana, sed ita in hac, ut non ex illis syllolis repetantur, sed ex lapidibus melius et plenius descriptis. Auctores cum non nominentur, fieri potest, ut quaedam horum veniant a KIRIACO. — Sequuntur deinde saec. XVI Iohannes BEMBUS, BELLONUS, VALVASONIUS, ANONYMUS a. 1574 (cod. Marc. Lat. XIV, 175) qui quae-dam soli servarunt. Etiam PANVINIUS et ex libro cardinalis S. Crucis PIGHIUS et HENRICUS PALLADIUS († 1568) afferunt Concordiensia pauca nec hodie magni momenti. Denique lapides Concordiae a se optime et sollicite descriptos Grutero dedit PUTEANUS. Item in addendis manuscriptis ad Gruterum, quae servat bibliotheca Leidensis, de Concordiensibus titulis quaedam adnotavit PINELLIUS solita sollertia. — Saeculo XVII IOH. FRANC. PALLADIUS patrui laborem et edidit (1659) et continuavit (1660). Praeterea Concordiae fuit GUDIUS ibique titulos diligenter descripsit. Eiusdem aetatis videntur esse collectanea Anonymi servata in CODICE CICOGNAE n. 1025, ubi inter alia epigrammata optime et perite delineata inveniuntur etiam Concordiensia quaedam. Denique tam DONIUS quam BARBERINIANI AUCTORES Concordiensia quaedam nescio unde acceperunt. — Hos excipiunt auctores iidem fere qui in Aquileiensibus elaborarunt, scilicet auctorem laudans passim Henricum Altanum comitem Salvaroli Philippus A TURRE (1700), cuius ex schedis nec tamen ex edito libro videtur pendere in Concordiensibus ut in aliis Friulanis FABRETTIUS (1702), FONTANINI, BERTOLI, POCOCKE, MAFFEUS. Anno 1787 Maria PELLEGRINI titulos Concordiae descriptos misit Marinio hodie servatos in cod. Vat. 9057. ZUCCOLO ut Aquileiensia ita Concordiensia quoque non multa, sed optime rettulit. Concordienses titulos codicis Cicognae n. 979 examinavi, non citavi; nam vidi omnes eos ipse. Peculiarem de Concordia librum edidit Antonius ZAMBALDI (*monumenti storici di Concordia ed annali di Portogruaro*. San

Vito 1840. 8. pp. 383) lapidesque quoque inseruit, sed magna ex parte ex editis neque auctoribus indicatis. Collectanea denique Iacobi PIRONAE quaedam subministrarunt nuperrime reperta, postquam ego Concordiam adii a. 1857 ibique descripsi cum alias titulos tum collectos diligentissima et utilissima cura ab Iohanne MUSCHIETTI Portogruarensi.

Concordiam primi nominant Mela 2, 61 et Strabo 5, 1, 8; Carnorum mediterraneis oppidis adnumerat Ptolemaeus 3, 1, 29. Aetate liberae rei publicae non videtur rem publicam habuisse, sed vici loco fuisse; certe eodicit eius aetatis titulus n. 1890 quattuor magistros homines ingenuos nominans. Deinde coloniam appellant Plinius 3, 18, 126 et Ptolemaeus l. c. (cf. n. 1903), *Iuliam Concordiam* tituli et infra relati n. 1884. 1901 et urbanus Grut. 549, 7 et Celeianus III, 5238, unde probaliter existimabitur deducta antequam Caesar Augustus fieret a. u. c. 727. Ex lege coloniae eius plura affert Fronto in epistula (ad amicos 2, 7; cf. ep. 6) ad Arrium Antoninum data de causa Volumnii Sereni scribae et decurionis Concordiensis. Magistratus ei praefuerunt II viri testibus titulis tribus n. 1892. 1895. 1904; quattuorvir n. 1888 quo pertineat, item quinquevir n. 1883, ignoratur. Aedilis item reperitur n. 1895. 1904. Augur invenitur n. 1905. Ad exemplum Aquileiensium etiam Concordiae videntur fuisse et sexviri n. 1884. 1886. 1887. 1889. 1997 et Augustales n. 1894. 1896. 1897 et illi honoratiorem locum obtinuisse, cum in eis inveniantur ingenui duo n. 1889. 1977. Tribum Concordiensium Claudiam fuisse praeter titulos infra relatios confirmant Aquileiensis n. 977 et urbani Grut. 549, 7 et Mur. 803, 4.

Composui hoc capite cum titulis prolatis ex ipsa Concordia et vicino oppido hodie florentiore Portogruaro qui prodierunt in vicis circumiacentibus Summago Nogare Villanova Vado Cordovado Sesto, item in distantioribus paulo S. Stini ad Livenzam et Varmi Latisanaeque trans Tagliamentum. Ad Portogruaro oppidum solent referre Plinii 3, 18, 26 *flumen portumque Reatinum* (nam ita libri meliores, cum *Romatinum* inde faciant deteriores) sine idonea causa; immo portus is Reatinus sive quo alio nomine fuit rectius fortasse componetur cum *Reunia Tiliamenti* Fortunati (vide supra p. 168 et Cluverium p. 201).

**1866** punctis scripta in coxa sinistra sigilli ahenei Beleni alti 25 cent., rep. a. 1862 in agro Concordensi, empti ab equite Vincentio Lazari Veneto.

M · P O R C · T E R T I V S  
B E L · A V G V S · C O N C O R D ·

Th. Gar misit descriptam a Ferdinando de Stefanis.

Num legendum sit Bel(eno) Augus(talis) Concord(iae), non definio.